

ni respondendum est, illos motus non esse contrarios, ut infra manifestabitur, & ob id neutrum esse violentum. Adde, non sequi, etiam si concéderemus alterum illorum esse quodammodo violentum, illum non fore perpetuum, atque debilitari posse, cum causa eius motua sit perpetua, & infatigabilis: Illud vero violentum solum dicitur non posse esse perpetuum, quod causam fatigabilem, & non perpetuam habet: Hoc enim simpliciter, & per se violentum dicitur. Ad secundam vero dicendum est, pluralitatem motuum maxime esse necessariam ad redendam causam omnium illarum apparentiarum, quas diximus, & multas alias huiusmodi, quas ipsi minime tueri possunt. Ad illud denique, quod de motu terre afferunt, respondemus saltem esse eam moueri; neque hac in parte credendum esse fabulis de columnis Herculis: Quod si aliquando fuit terra, ubi nunc est mare, & e contra, illud nulla ratione provenire ex motu terre ab ortu in occasum, etiam si moueretur: Cum enim terra, & aqua unum efficiant globum, ut postea ostendemus, quis non videt, eodem simul tempore terram, & aquam moueri & rapi a primo mobili? Quod si dicant, Mare cum terra non efficeret unicum globum, sed aquam esse altiorem, ut multi opinati sunt; Tunc potius sequi deberet, terram tendere sub mare ex parte orientis, quia illam operiret aqua continua; emergere vero e mari ex parte occidentis, quoniam illam aqua desereret; quandoquidem iuxta illos corpora superiora, & propinquiora animæ mundi, velocius mouentur ab ortu in occasum. Causam igitur huius rei cū Aristotele in 1. Meteor. hanc dicimus esse; quoniam videlicet ob aspectus superiorum corporum mare consumit terram in quibusdam partibus ob crescentiam aquarum, idcirco ubi ante fuit terra, ibi nunc est mare: Eadem modo, quia in alijs partibus decrescit mare, ideo appetat nunc terra, ubi antea fuit mare. Cuius rei indicium esse potest, quod ista permutatio maris cum terra, & terra cum mari, non solum reperitur facta esse ab oriente in occidentem, quod tamen ex illorum sententia sequeretur, verum etiam in septentrione, & australi, & reliquis mundi partibus.

A LII Ut Augustinus Ricius, quem sequitur Orontius, videntes hac ratione nullo modo posse apparentias, & ~~conservare~~ defendi, volentesq; octonario orbium numero esse contenti, dixerunt, Totum aggregatum octo orbium habere unum communem motum ab oriente in occidentem, ita ut motus nulli particulari orbi conueniat, tanquam unius, sed omnibus